









1748.

1. Reming, Lippried Coes. : De moralitate successorum
2. Balthesus, Augustinus : De paenae capitalis executione perfecta non toleranda.
3. Breckman, Georgius et Soldman, Jacobus Petrus : De differentia Reputacionum nominalium et realium.

1749.

1. Balthesus, August, de : De usuris, jure habecens, in concursu custorum, in eadem clave cum sorte integre contineandis
2. Balthesus, Augustinus, de : De favore depositi

1750.

1. Alwardt, Petrus : De protestate principis circu privilegia
2. Balthesus, Augustinus, de : De iure reinfundacionis speciationis reformatio[n]is fidei in Ponteraria

1757

1. Remmings, Siegfried Paes : Programme, quo - - - :  
do lucis a eori antiqui et diuinis lugendi tempore  
discretumque ad festum resurrectionis Christi.  
sevte celebrandam cires academicos mortat
2. Remmings, Siegf. Paes, ab : De executione penae  
capitalis interrupta, iteranda ac consummanda,  
et de jure circa depositorum reorum.
3. Balthasar, Augustinus, de : De iuribus viduarum nobilium  
in feudi Pomeraniae citerioris
4. Balthasar, Augustinus, de : De remissione meritorum  
in locazione praedorum rusticorum ob ingens tam  
ex lue pecorum conductoris contingens.

1758.

- Remmings, Siegfried Paes, ab : De obligatione successorio  
ad antecessorius sui debita ac feudi imperii pra  
stantia.

1737.

Schlichtkrull, Christ. Nic: An ares aus seque repro-  
hens futuros constitucere testamentarios licet,  
vivis atque illorum parentibus?



*3*

PROGRAMMA  
QVO  
PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ GRYPHICÆ  
**SIEGFRIED COESO AB ÆMINGA**  
JUR. PROF. ORD. ET IN CONSIST. REG. CONSILIARIUS  
H. T. SACRÆ CÆSAREÆ MAJEST. COMES PALATINUS  
DE  
**LUCTU ÆVI ANTIQVI**  
ET DIVERSIS LUGENDI  
TEMPORIBUS  
DISSERIT  
SIMULQUE  
AD FESTUM  
RESURRECTIONIS CHRISTI  
DEVOTE CELEBRANDUM  
**CIVES ACADEMICOS**  
INVITAT.

IMPRIMEBAT HIERONIMVS JOHANNES STRUCK.





DE  
LUCTU ÆVI ANTIQVI  
ET DIVERSIS LUGENDI  
TEMPORIBUS.

**J**acturam rei grataꝝ ingratos producere sensus & affectiones experientia edoceatur; sic obitus personarum, quæ charæ nobis in vivis fuerunt, adeo acerbus nobis est, ut ideo lugeamus tristiam variis modis exprimentes. Quod sane inter ceteras imbecillitates, quas lapſus parentum produxit, referendum.

Non tamen diffitemur suisse magni nominis viroꝝ (1) imo totas gentes, quæ hanc imbecillitatی speciem dissimulare studuerunt, & ab omni luctu abstinuisse leguntur, quod de Danis, (2) Locris, (3) Thracibus, (4) Messaliensi-bus, (5) aliisque memoriæ proditum est. Thraciæ gens in specie sapientiæ laudem adsecuta est, quod natales hominum flebiliter, exsequias vero cum hilaritate celebraverit (6). Alias vero ex dictis gentibus odium luctus adeo cepit, ut

A 2 signa

(1) De quibus SENECA Epist. 99. *Innumerabilia sunt exempla corum, inquit, qui liberos juvenes sine lacrymis extulerint: qui in sensatum, aut in aliquod publicum officium a rogo redierint, & flatim aliquid egerint.*

(2) ADAMUS BREMENSIS lib. de situ Dan. & Reg. Septent. tit. de Seland.

(3) HERACLIDES in Ponticis.

(4) HERODOT. lib. 5. QVINTIL. lib. 5.

(5) VALER. MAXIM. lib. 2. Cap. 6.

(6) VALER. MAXIM. l. c. MELA Lib. 2. Cap. 2.

signa externa luctum indicare solita, & vestium permutationes sanctionibus pœnalibus plane interdixerint (7).

Imbecillitas enim humana nullis, etiam sapientissimis legibus tolli, adeoque nec luctus internus iisdem supprimi & exstirpari poterit. Quam ob rem plurimæ alij gentes infirmitati humanæ in hoc aliquid indulgendo luctum etiam externum paulatim inter diversos ritus & ceremonias, introductum non solum tolerarunt, sed & legibus latis præceperrunt, quem nec ipsa sacra scriptura tam veteris quam novi testamenti improbabit. Non iidem tamen omnium lugendi mores fuerunt, sed pro genio gentium & diversitate religionum, alii prudenter mœrorem ita moderati sunt, ut potissimum medelam ex sanæ rationis dictamine hauserint ob solamen alterius vitæ, qua defunctum ex hac mortalitate erectum frui crediderunt; Aliis vero, spe vitæ æternæ destitutis, nullum solatum ex morte amicorum relictum; aliis denique ex sola necessitatibus opinione vestigiis majorum insistendi, luctum ad officium pertinere statutentibus. Unde luctum ad superstitionem & insaniam usque in abusum abiisse legimus, (8) siquidem non in lugubri illa lamentatione & planctu substiterunt, crinibus scissis, interdum etiam tonsis, ornamenti depositis, cultu & vestibus mutatis luctum indicando: (9) Sed præterea pectora unguibus lacerarunt, nec non genas, mammas, immo ipsum denique vultum, quo sanguine fuso Dis se satisfacturos, nec non defunctis gratum facturos pietatis officium arbitrati sunt, (10) ex qua superstitione

(7) HERACLID. l. c.

(8) CICERO lib. 1, 3, & 4. Tuscul.

(9) LUCIANUS de luctu. OVID. I. de Ponto Eleg. 10. KIRCHM. de funerib. Rom. I. 2. Cap. II.

(10) PLUTARCH. de consol. ad Apoll.

( 3 )

stiflota persuasione quidam barbarorum in exsequiis suis etiam corpora sua naribus, auribus aliisve partibus amputandis foedarunt. (11) Hūd denique insanum lugendi indicium erat, quod querelis & maledictis ob mortem eorum quos funimo lāpe amore erant proscuti, Deos siuos oneraverint, nec non templa, arasque lapidaverint, statuas dejecerint, lares in publicum abjecerint, partum conjugum exposuerint, & quæ erant alia ejusdem (12) farinæ facinora. Utī porro inter nonnullas gentes nulla funerum ambitio, & nullum luctus externi studiū fuit, quod præsertim de antiquorum temporum Germanis prædicatur, qui præterea lamenta & lacrymas cito, dolorem & tristitiam tarde deposituisse leguntur: (13) ita contra alia ambitiosissimam funeribus suis dederunt operam, quorū Romani pertinent, quos nemo forsitan in luxu funebri, & sumptibus in efferrenda honorariorum cadavera erogandis superavit. (14)

Pro cultu Gallorum, funera eorundem etiam magnifica fuisse, ac sumptuosa leguntur, quippe qui omnia etiam animalia, quæ vivis cordi fuisse arbitrati sunt, in ignem intulerunt: Imo servi & clientes, quos a defunctis dilectos esse constabat, justis funeribus confectis una cremabantur. (15) Syri itidem ac Ægyptii luctum nimis exercuerunt. (16) Ul-

A-3

tinui

- (11) SERVIUS lib. 3, Aeneid. SPENCER de Legib. Hebr. Ritual.  
lib. 2. Cap. 13. §. 2.

(12) SVETONIUS in vita Caligule Cap. 5. ARRIANUS lib. 2. Dif-  
fert. Epictet. Cap. 22.

(13) TACIT. de Mor. Germ. Cap. 27.

(14) JOH. KIRCHMANNVS de funeribus Romanorum. JAC. GU-  
THERIUS de iure manuum.

(15) CÆSAR. lib. 6. Cap. 16.

(16) PLUTARCHUS in Consult ad Apoll.

timi hi in mausoleis & monumentis condendis ac corporibus ungendis fuerunt profusissimi, & in ritibus adhibendis superstitionissimi. (17) Plurimis itaque gentibus inter quas immoderatus ille lugendi modus invaluit, necessem vixum legibus eundem cohiberi. Sic ex publica Solonis lege lacerationes genarum prohibitæ sunt, (18) itidem Decemviri Romanis cruentum illum morem severe interdixerunt, dictam Solonis legem in LL. XII. tabb. recipiendo sequentibus verbis: mulieres genas ne radunto. (19)

Quod & summo legislatori placuit, cum superstitione & idolatria circa cadavera defunctorum a gentilibus ad Israelitas transiissent: Super mortuo non incidetis carnes vestras, disponendo. (20) In eo tamen mores omnium gentium inter quas lugendi usus invaluit, conspirant, quod lugentes abstinuerint a publicis gaudiis, & ad minimum externis latitiarum signis luctui haud convenientibus, & moerorum gestibus, nec non signis quibusdam externis per aliquod tempus luctui destinatum, in quo tamen maxima varietas iterum occurrit, significarint. Quam ob rem Romani, si forte in luctu aliquid fecerint humanius, aut hilarius locuti essent, revocarunt se rursus ad moestitiam, peccatique se insimularunt, quod dolorem intermisserint; Pueros vero matres, & magistri castigare etiam soliti sunt, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum, aut dictum, plorare coegerunt. (21) Apud Hebraeos

(17) HERODOTUS lib. 2. DIODORUS SICULUS lib. 2. cap. 5. VA  
LER. MAX. lib. 4. Cap. 6. PLINIUS lib. 36. cap. 5.

(18) PLUTARCH. in vita Solonis.

(19) CICERO Lib. 2. de Legibus. RÆVARD. LL. XII. tabb. c. 15.

(20) Levit. cap. 19. v. 27. & 28. Deuter. cap. 14. v. 1.

(21) CICER. lib. 3. Tuscul. quæst.

br̄os tempore luctus altum fuit instrumentorum musicorum silentium & omnis hilaritatis intermissio, (22) quibus etiam ritus ille capita cineribus adspergendi cum Gracis ac Romanis communis fuit. (23) Ut alios ritus variarum gentium taceam, præterea quod lugentibus conviviis interesse haud licet, plurimæ maximum luctus indicium in vestium mutatione, & depositione purpuræ, auri, aliorumque ornamentorum posuerunt, quem in finem & annulos mutatos legimus, ipso exequiarum die aureos ponendo, & ferreos sumendo. (24) Lugubria illa sive mortualia quæ ornamentis positis induerant, nigri plerumque coloris erant, cuius coloris vestibus Ægyptii primi in luctu usi esse leguntur, (25) quemque postea plurimæ aliæ gentes luctui maxime convenientem iudicarunt. (26) a quibus contra albus color pro signo lætitiae habitus, dum lugentibus ab alba veste abstinere injunctum legimus. (27) Tractu temporis vero variis colorum generibus repertis sub Imperatoribus albus color adeo contentui habitus est, ut luctui inservierit, & præsertim foeminæ vestibus albis exilibus induitæ moerentium speciem præbuerint. (28) Ricinium porro erat genus vestimentorum lugubrium sexui sequiori proprium, domi enim lugentes co-

gnatae

(22) Jel. 24. v. 8. GEIER de luctu Hebr. cap. 21. §. 13.

(23) KIRCHM. l. c. lib. 2. Cap. 12. circa fin.

(24) PAULUS ICtus lib. 1. recept. sent. tit. ult. GOTHOF. ad l. 8. de his, qui not. inf. KIRCHM. lib. 2. Cap. 17.

(25) SERVIUS ad lib. 9. Aeneid.

(26) STRYCK. de jure vestiar. cap. 2. n. 74 sqq. ALEX, ab Al-  
exand. Lib. 3. Cap. 7.

(27) PAULUS lib. 1. recept. sent. c. ult.

(28) KIRCHM. l. c. lib. 2. Cap. 17. MORESTELLUS de pomp. fe-  
ral. Lib. 2. C. 25.

gnatae foeminae riciniis amictae circumstabant lectum mortui per septem illos dies, qui funeris elationem praecedebant, donec octavo demum die ricinia illa, in lectulum feralena imposita, una cum mortuo comburebantur, & cognatae togas sumebant pullas, quibuscum in funus prodirent. (29) Iisdem vestibus deinceps in luctu utebantur. Unde apparet intra tempus luctui destinatum vestes lugubres mutatas esse. Quousque vero in lugubri illo habitu incesserint, de omnibus gentibus & que determinari haud potest. Pro more enim inter easdem recepto, pro coniunctione personarum lugendarum, nec non pro differentia religionum ratione temporis varietatem observamus. Terminus quo antiquissimis temporibus solennia funeralia inter gentiles peracta sunt novem dierum spatio absolvebatur, a quo dierum numero feria illæ novendiales (30) dictæ sunt, easdemque aliqua ex parte diu adhuc a Christianis servatas esse, haud obscure colligendum ex Justiniani novella constitutione, (31) qua sancitum, ne liceat creditores heredes defuncti pro debito molestare ante novem dierum spatium, in quibus lugere viderentur. Apud dictas gentiles corpus defuncti septem diebus domi asservabatur, & curabatur, lavando, ungendo, osculando, complorando, & conclamando. Octavo die funus procedebat & corpus incensum, nono demum die sepeliebatur. Quibus peractis, corpora conclamata dicebantur, quæ nihil haberent reliqui ad longioris vita officia.

Quo

(29) VARRO lib. 3. de vit. P. Rom.

(30) TURNEBUS lib. 24. advers. cap. 23. Lips. ad Tac. lib. 6. annal. n. 18.

(31) Nav. 115. Cap. 5. SONNEMANN. Jur. Nov. ad h. cap. CUIJAC. de divers. temp. præscript. c. 6.

Quo ipso finis dolori & luctui imponebatur. (32) Minime tamen statuendum acsi ab illo tempore quo defunctus terra mandabatur omnis parentationum finis fuerit. Nam novendialia ista privatis solummodo sacris destinata erant, quibus defuncto domi parentare solebant, & restabant ferialia, quae mense februario incidebant, quibus publice adhuc parentare, & mortuis justa facere solebant. (33) Sic & reperimus tractu temporis in memoriam clarorum virorum anniversarie aliisque statis temporibus festa lugubria iteranda statuta esse, quibus memoria defunctorum publicis solennibus renovaretur. Circa publicum luctum, qui initio ob summam calamitatem publicam, ex bello sive peste ortam, & postea ob mortem Principis sive alterius viri, magni nominis, cuius praelatura in rem publicam extabant merita, instituebatur, (34) ratione temporis nihil certi determinatum reperimus, sed uti sub initio luctus istius publici vestis mutatio per solenne decretum indici solebat, ita & solenni illa formula: Ut ad suum vestitum redirent, terminus luctui constituebatur. (35) Initio etiam sine publica auctoritate sua sponte luctum suscipiebant. (36)

Idem & in sequentibus temporibus factum esse, ex plurimis exemplis colligendum est. Quod etiam apud Hebraeos in luctu publico obtinuit, quippe qui interdum sua spon-

B te,

(32) GUTHERUS de Jur. Man. Lib. 1. Cap. 17.

(33) PLUTARCH. in Numa. CASAUBON. Animadvers. in Atheneum cap. 19. CICER. 2 Legib.

(34) CICER. Orat. pro Cn. Planc. & Orat. pro Publ. Sextio.

(35) CICER. Orat. in C. Pilon. & pro Sextio.

(36) LIV. Lib. 2, 3, & 9.

te, (37) interdum vero jussu Principis (38) luctum sumserunt, qui nonnunquam ad solis occulum (39) nonnunquam diutius ad arbitrium lugentium duravit, pro dignitate & conjunctione personarum defunctorum. Alioquin in gente Judaica nec luctui privato certum temporis spatiū definitum erat, sed mox septem dierum (40) mox triginta dierum (41) luctus mentio facta est. Quod tempus quandoque coarctatum, (42) quandoque prolongatum legimus. Septenarius tamen dierum numerus in luctu ut plurimum observatus est, cuius primum in luctu Josephi ob mortem patris Iraelis sumto mentio illata. (43) Quo ipso tamen liberum lugendi arbitrium circa tempus quod luctui dederunt non exclusum esse statuimus. (44) Aegyptii in mortuis per varia solennia condiendis quadraginta dies consumebant, eorumque luctus publicus 72. dies durabat, quod tempus interdum etiam in luctu privatorum obtinuit. (45) Pari modo in multis aliis gentibus diversa luctus tempora plerunque pro arbitrio lugentium determinata observavi, de quibus

(37) 1 Sam. Cap. 4. v. 12.

(38) 2 Sam. Cap. 3 v. 31. lqq. 2. Sam. Cap. I. v. 12.

(39) 2 Sam. Cap. 3. v. 35.

(40) 1 Sam. 31. v. 13.

(41) Numer. Cap. 4. v. 29. Deuter. 30. v. 8.

(42) Sirach 38. v. 18. Genes. 37. v. 34. Conf. not. Bibl. alleg. ibique citati Patrick, & Wells.

(43) Gen. 50. v. 10. Numer. 19. v. 11. 1 Sam. 31. v. 13. Judith 16. v. 29. Conf. Biblia cum not. Telleri edita in not. ad Gnn. Cap. 23. v. 3, ad Cap. 37. v. 34. & ad Cap. 50. v. 10. ibique allegati Augli.

(44) Gen. 37. v. 34. & Bibl. alleg. in not. Sirach 38. v. 18.

(45) Genes. 50. v. 3, ibique notae in Bibl. citat.

bus plura exempla congerere superfluum foret. In nonnullis tamen casibus certum luctui tempus a quibusdam datum atque dicatum est, quod & a Romanis factum memorie proditum est. (46) Idem hodie adhuc ubique fere obtinet. In jure Romano, de luctu lege determinato, tempus continuum statutum, quod merito & ignorantie cedit ex die mortis, quod colligendum ex dispositione, qua uxori permisum ipso eodem die lugubria sumere, & deponere, ut Labeo ait, si post legitimum tempus cognovit, maritum esse mortuum. (47) Interdum tamen lugubria tam publica, quam privata per aliquod temporis spatium intermisca, immo plane sublata esse reperimus, eodem quidem modo, quo indictio luctus fiebat, ex praecerto nempe superiorum. Sic in Marci Tullii periculo vestis mutatio edictis atque imperiis vetita. (48) Et cum Lucius Posthumius a Gallis deletus esset, & nunciata clade, per multos dies in tanto pavore fuisset civitas ut tabernis clausis velut nocturna solitudo totam urbem occuparet, tenatus Aedilibus negotium dedit, ut urbem circumirent, aperirique tabernas, & incestitia publica speciem urbi demiri sicerent. (49) Minutionis luctus, tam publici quam privati variae causae referuntur, qua partim in religione fundata erant, partim vero ex latro quodam casu sive eventu cum quo luctus conciliari haud poterat, pendebant. Cum a Censoribus lustrum conderetur, omnia tristitia insignia

B 2

inter-

(46) Quod inter alios CUIJACIUS ex veteri Codice sententiarum Pauli collegit. MACROB. lib. 2. Cap. 12. SENEC. epist. 63.

(47) I. 8. ff. de his, qui not. infam.

(48) CICER. Orat. post redditum ad Quir.

(49) LIV. lib. 33.

intermissa, & lugubria interim deposita sunt, quia nihil magis religionis ceremoniis adversari crediderunt, quam luctum. Ob votorum etiam publice susceptorum solutionem luctum minutum & inhibitum esse constat, nec non in aliis dedicatione, in qua ea fuit populi Romani latititia, ut spectacula, & ludi, epulaque darentur, quibus lugentes interesse non poterant. (50) Denique in publicis gratulationibus, quibus diis gratias agebant ob publicam latitiam, vel bellum prospere gestum. (51) Privatis vero minuebatur luctus, cum liberi nascerentur, cum honos in familiam veniret, cum pater aut liberis, aut vir, aut frater, ab hoste captus domum rediret, cum puella desponfaretur, cum propiore quis cognitione, quam is, qui lugebatur, natus esset, denique in Castro Cereris, omniq[ue] gratulatione, (52) cum aliud quid prospere vel exoptatum obvenisset, aut etiam felicitas quædam opéra privatorum reipublicæ contigisset. (53) Elapsis vero diebus iis solemnibus lugubria restimabantur. Idem fere in latitiis & hodie inter nos observari experientia docet. Sapissime enim in atlis Principum luctus diebus solemnibus ac festivis natalitiis, nuptialibus, victoria aliqua nobilitatis, aliquae lugubria deponuntur, iisque finitis resumuntur. Quod & a privatis fieri videmus. Quodsi tamen lege publica luctus injunctus, privatos sine dispensatione luctum haud impune intermittere posse, existimaverim. Quod præsertim de hodierno luctu publico statuendum, cujus tempora itidem continua ordinantur. Apud antiquos Romanos rario-

(50) LIV. lib. 36. DIO lib. 42.

(51) LIV. lib. 30.

(52) FESTUS in verb. minuitur.

(53) DIONYS. HALIC. lib. 3. TACIT. lib. 2. Annal.

ra exstant luctus publici indicia, (54) qui hodie sapissime ab Imperantibus, vel eorum vices tenentibus indici solet, a quibus itidem tum quoad solennia & ritus, tum quoad durationem idem plerumque determinatur. Sic mortuo Imperatore luctus universalis ab Imperii Vicariis per Imperium Romano-Germanicum indicitur, qui litteris notificatoriis ad statutus imperii missis specialia mandata, quibus luctus nuntiatur jungere solent. Ab ipsis tamen Imperii statibus in specie luctum insuper in provinciis sibi subjectis imperari, ex praxi imperii satis constat. In hac nostra itidem provincia ad speciale mandatum Serenissimi ac potentissimi Suecorum Regis, ut Duciis Pomerania, Illustrissimum Regimen luctum quatuor hebdomadum regulariter mortuo. Imperatore eum in modum pec specialia rescripta indicere consuevit, ut praeter lugubria adsumenda, & campanarum sonitum quotidie per unam horam à XII. & I. audiendum omnis musica tam organica quam instrumentalis in templis & omnibus tam publicis quam privatis conventibus plane cesseret. Singulare itaque fuit quod anno 1711. Imperatore Josepho mortuo Regimen Suecicum Sedinense publicationem & affixionem ejusmodi mandati ab Imperii Vicario missi reculaverit, idemque cum litteris notificatoriis remiserit, quod vero ideo factum, quia Elector Saxonia ut Imperii Vicarius in iisdem Regis Poloniae titulo usus erat, quem Suecorum Rex tunc temporis eidem denegabat. Tempus luctus illius universalis, ob obitum Imperatoris indicti, observavi pro confuetudine cuiuslibet provinciae quam maxime variare, quod in hisce provinciis ditionis sueciae regulariter cum omnibus

B 3

luctus

(54) I. H. BÖHMER Diss. de eo, quod justum est circa lecum  
publ. §. 22.

luctus indicis supra memoratis quatuor hebdomades durat. In terris Brandenburgicis vero quotidianus campanarum sonitus quatuordecim solummodo dies durat, ubi contra musica instrumentalis per sex septimanas inhibita. (55) In Provinciis Imperatorum hereditariis luctus ille per annum continuum continuatur, in aliis provinciis aliter. Illud vero luctus publici genus quod attinet, quod nos maxime tangit, si ex familia regnante Rex, sive Regina Sueciæ, aut Regia Celsitudinis alioque cum familia Regia proxime conjunctæ personæ moriantur, diversimode illud dispositum animadverti. Rege, sive Regina mortua, summius luctus gradus, ut omnes cives ac subditi pro conditione ac opibus lugubria induant, ad speciale mandatum aulae indici solet. Ut vero non unica, sed diversis regiis ordinationibus plerumque lugubres ritus & solemnia ac in specie exsequiæ ordinantur, ita & luctus terminus a specialibus Regiis mandatis pendet, quem saepius ultra annum protractum observavi, quod & in luctu haud ita pridem defunctæ UDALRICÆ ELEONORÆ Regina Sueciæ glorioissimæ memoria factum recordor. Pari modo publicus luctus propter obitum HEDVIGIS SOPHIAE natae Principis Sueciæ & Ducis Holstiaæ anno 1709. indictus & per speciale rescriptum terminatus est.

Inter recentiora exempla adhuc referendum, quod anno 1702, cum FRIDERICUS Dux Holstiaæ in proelio Kliskovieni diem obiisset supremum, luctus publicus in hac provincia indictus, & simul cum publica intimatione sonitus campanarum per quatuor hebdomades fuerit injunctus.  
Quarvis

(55) Vid. Rescript. Regiminis Magdeb. de 1705. quod exstat in Dissert. B. BÖHMERICI de eo, quod Justum est circa Iactum publ. §. 28.

Quamvis hodie regulariter luctus publicus indici soleat, exemplum tamen luctus sumti in hacce provincia observavi, cum illustrissimum Regimen ad submissimam suam devotionem in familiam Regiam indicandam anno 1730 Landgrafio Hassiae mortuo luctum proprio motu sumeret, & arbitrio ceterorum Collegiorum Regionum hujus provinciae committeret, num ad exemplum Collegiorum Regionum Suecicorum luctum sumere vellent, quod illorum calculo quoque combrobatum fuit. Memorabilis denique luctus perpetui in Pomerania incliti mentio adhuc est injicienda. Singularis nempe decenniis in hac nostra alma Gryphica lugubre festum, Croyanum dictum, celebratur, quod ab ERNESTO BOGISLAO, Duce Croyæ & Areschotti, in memoriam matris sua ANNÆ, spiris Pomeraniae ultimæ Principis, pie institutum est, solemni panegyri & anno præterito senatu Academico, lugubribus impositis, præsente, inter musicam lugubrem die XVIII. Julii celebratum.

Ad tempus luctus privati quod attinet, Romani illud antiquitus pro ratione statum & cognitionum definierunt, idque ex instituto. Numæ Regis, qui pueros & minores triennio non lugendes, maiores autem natu tot mensibus lugendos statuit, quod quisque annos vixisset, sed ea conditione, ne ultra decimum mensem, quod longissimum luctus tempus fuit, terminaretur. (56) Romanos tamen jam Pauli JCTi auctoritate a Numæ instituto recessisse inde appetet, quod ipsius lege fancitum: Quod Parentes & filii sex annis maiores annuо lugeri possint, minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximiорis gradus octo, iis vero qui contra fecerint,

poena

(56) PLUTARCHUS in Numa.

poena infamiae sit statuta. (57) Tribonianum tempore vero poena illa infamiae quae parentibus liberis & cognatis jure veteri dictata erat, nisi tempus lege definitum explevissent, plane sublata est, & tempus luctus arbitrio lugentium secundum cujuscunque animi patientiam, & pietatis rationem permisum est. (58) In maritis vero lugendis tantum abest, ut idem arbitrium mulieribus sit relictum, ut potius tempus ordinarium decem mensium duobus insuper mensibus auctum (59) & mulieribus injunctum legamus viros elugere, quod idem erat ac tempus legitimum luctus implere (60) poena infamiae in illo casu relicta, si mulier intra tempus legitimum luctus nupserit, aliisque adhuc poenis superadditis. (61) Ex arbitrio

(57) CORYPHÆUS lib. 21. Observat. Cap. 12. ibique PAULUS lib. 1. sent. tit. ult.

(58) l. 23. ff. de his qui not. inf.

(59) l. 2. Cod. de secund. Nupt.

(60) LIV. lib. 34.

(61) l. 8. ff. de his qui not. inf. l. 1. & 2. de sec. nupt. Poena tamen infamiae de jure Can. per c. pen. & ult. X. de secundi. nupt. & moribus remissa est, illo tamen excepto casu, si vidua uterum gerens ex priori marito alteri se jungat, unde turpitudinem contrahit, quam nec dispensatio tollere poterit; Brunnen, ad L. 2. C. de sec. nupt. Alias regulariter poena arbitraria hodie obtinet. Interea tamen dispensationi ex iussis causis locutus de quibus Carpz. Jurispr. Consist. P. 2. Def. 101. seqq. Ratio prohibitorum fissionis nuptiarum primaria in turbatione sanguinis querenda, quae tamen folas mulieres tangit. Altera ratio in publica honestate ponitur, unde & moribus plerorumque locorum maritis terminus praesagi solet, intra quem a secundis nuptiis absinere debent. In Saxonia per Ordin. matrim. tempus semestre statutum est, quod & alibi moribus

trio illo lugendi, maritis, liberis aliisque conjunctis relicto, legibus Romanis inter nos receptis, varii circa luctum abusus se paulatim insinuarunt, & luctus quam maxime sumtuosi facti sunt, nec non tempus lugendi nimis protractum. Cum itaque malo huic aggravescenti legibus mederi, necesse fuerit, in plerisque Germania Provinciis hodie modum & tempus luctus determinari novimus. Sic ut antiquiores & in terris remotioribus latas taceam, in nostra Pomerania nobilibus specialis norma lugendi (62) præscripta est, quam cum Megapolitana illa constitutione (63) ratione temporis luctui præfiniti, quam maxime convenientem reperi, in quibus præter modum lugendi tempus ita statutum, ut liberi decem annorum non nisi tres menses a parentibus sint lugendi, conjugibus vero & liberis integer annus luctus sit relictus, fratribus & paulo remotiori agnatione & cognatione five affinitate conjunctis, in dictis ordinationibus expresse nominatis, tres menses, in omnibus reliquis vero, & magis remotis, non nisi unius mensis luctus sit permisus, & quidem sub poena pecuniaria ex arbitrio vel legislatoris vel judicis proportione circumstantiarum a quinquaginta usque ad quingenitos thaleros determinanda. In plurimis cæteroquin hujus generis ordinationibus differentia quadam tam in modo quam in tempore luctus definiendo occurrit quod ex collatione

## C

ribus servatur quare & in hac nostra Provincia sæpius a Reg. Consil. Dispensatio quæsta, & facile impetrata est. Olim etiam tertia dictæ dispositionis causa fuit metus religionis & superstitionis. Putabant enim manes offendii, nisi eligerentur. APULEJ. lib. 8. Metam. I. I. C. de secund. nupt.

(62) Trauer. Regliment de 24 Nov. 1722. renov. d. 25 Maii 1735.

(63) Allgemene Trauer-Ordnung vom 12ten Sept. 1749.

tione earundem quivis facile intelligere poterit. Ut tamen unicam statutariam adhuc afferam, ordinatio luctus civitatis Gryphiswaldensis de 1732 ab Ill. Regimine confirmata in plurimis quidem casibus intuitu temporis, luctui præfiniti, prioribus allegatis Ordinationibus Provincialibus conformis est, in liberis tamen lugendis ab iisdem differt, siquidem si liberi quinque annos nati & aduliores fuerint tempus trium mensium statutum, si vero liberi lugendi tempore obitus in dignitatibus constituti fuerint, & decorum longius tempus requirere videretur, illud quidem indulatum, haud tamen ultra sex menses extendendum. Sufficiat hac vice de luctu xvi antiqui & variis lugendi temporibus hæcce differuisse.

Unicum adhuc restat, quod officii ratio postulat. Vos nempe monitos volo C. H. velitis festum paschatq; inter pias meditationes devote celebrare, & illa in specie quæ de antiquis lugendi modis ex coeca superstitione & idolatria gentilium attuli, in piuum convertere usum. Quod facturi estis, si Deo T. O. M. inrenissimas agatis gratias, quod fugato gentilismo, & dieussis superstitionis tenebris, nos in melius erudiri voluerit, siquidem per gratiam Spiritus Sancti de vita aeterna convicti, non est quod lugeamus ob obitum amicorum, tanquam gentiles, omni certiori spe vita aeterna destituti. In nostro itaque luctu maximo nobis solatio esse potest, quod personæ, quæ in vivis gratae nobis fuerunt, defunctæ ex hac misera vita in meliorem perfectionibus plenam introierint, unde firmissima nos spes manet, quod illos ibidem revisuri simus. Hac spes nostra se fundat in Christo qui hodie e mortuis surrexit. Per hanc salutiferam resurrectionem maxima luctus causa sublata, cujus optimo effectu & illi gavisi sunt, quos historia passionis

nis nos fistit lugentes, & lacrymantes, propter passionem  
 & mortem Christi quorum lacrymæ ob victoriosam serva-  
 toris mundi resurrectionem in gaudia fuerunt, conversæ,  
 ut omni luctu seposito lati gratiam prædicaverint, ex re-  
 surrectione Christi in ipsos & omnes fideles redundan-  
 turam, cuius & nos in vita præterim æterna  
 participes futuros speramus.

P. P.

GRYPHISWALDIAE  
 SUB SIGILLO UNIVERSITATIS  
**IPSIS FERIIS PASCHALIBUS**  
 ANNO SALUTIS NOSTRAE MDCCLI.



ein von uns für die Gelehrten & Freunde unserer  
Geschichte geschaffene Buch, das die Geschichte der  
Völker und der Menschen in der Welt darstellt, und  
in dem wir einen Überblick über die Völker und  
die Kultur der Menschheit geben, die wir in  
unserer Erziehung und Bildung erhalten haben.

berücksichtigt werden.

B. B.

GRATIUS MULIERE

SUO SPOSO ANHERRSITATE

IPSIS LETTERIS PARACHALIBUS

ANNO MDCCLXII NOVEMBRI











B.I.G.



3  
1757.1  
PROGRAMMA  
QVO  
PRO-RECTOR  
ACADEMIÆ GRYPHICÆ  
SIEGFRIED COESO AB ÆMINGA  
JUR. PROF. ORD. ET IN CONSIST. REG. CONSILIARIUS  
H. T. SACRÆ CÆSAREÆ MAJEST. COMES PALATINUS  
DE  
LUCTU ÆVI ANTIQVI  
ET DIVERSIS LUGENDI  
TEMPORIBUS  
DISSERIT  
SIMULQUE  
AD FESTUM  
RESURRECTIONIS CHRISTI  
DEVOTE CELEBRANDUM  
CIVES ACADEMICOS  
INVITAT.

IMPRIMEBAT HIERONIMVS JOHANNES STRUCK.

